

HOLY SEE PRESS OFFICE
OFICINA DE PRENSA DE LA SANTA SEDE



BUREAU DE PRESSE DU SAINT-SIEGE
PRESSEAMT DES HEILIGEN STUHLS

BOLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0036

Sabato 19.01.2002

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICO PER LA SOLENNE DEDICAZIONE DELLA NUOVA CHIESA CATTEDRALE DI TIRANA (26 GENNAIO 2002)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICO PER LA SOLENNE DEDICAZIONE DELLA NUOVA
CHIESA CATTEDRALE DI TIRANA (26 GENNAIO 2002)

In data 24 novembre 2001, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Angelo Sodano, Segretario di Stato, Legato Pontificio per la solenne Dedicazione della nuova Chiesa Cattedrale di Tirana, che avrà luogo il 26 gennaio 2002.

L'Em.mo Card. Angelo Sodano sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Rev.do Mons. Ambrose Madtha, Consigliere della Nunziatura Apostolica in Albania;
- Rev.do Mons. Piero Pioppo, Segretario di Nunziatura in servizio presso la Segreteria di Stato;
- Rev.do P. George Frendo, O.P., Vicario Generale di Durrës-Tiranë.

Pubblichiamo di seguito la Lettera che il Santo Padre ha inviato al Legato Pontificio, Card. Angelo Sodano:

Venerabili Fratri Nostro
ANGELO S.R.E. Cardinali SODANO
Secretario Status

Sacra aedes, magnis populorum concursibus celebrata, translaticias apud Ecclesiae consuetudines conspicuum obtinere locum consuevit. Eodem namque confluere solent fideles precaturi sacramque liturgiam una mente explicaturi, ut christiana ipsa communitas, sociata ex opera lapides ferme ponens, ipsius Ecclesiae commissuram demonstret itemque, terrestribus poshabitibus rebus, ad caelestem patriam unanimiter protendat.

Nobis profecto de Tiranensis Cathedralis Templi dedicatione nuper adlatum est, quae mensis Ianuarii die XXVI continget. Etenim ibidem felicioribus exstantibus condicionibus, pietas fidesque novum florem experiri videntur. Gentium Apostolus, cui aedes illa dicabitur, Evangelii Christi verba ac monitiones suppeditare valet, qui alacriter perseveranterque quoqueversus Salvatoris salutarem nuntium dispertivit.

Convenit igitur ac permagni refert ut eventus hic congruenter commemoretur et optimo iure extollatur. Celebratio enim haec copiam dat et facultatem convenientes gratias cunctis iis agendi qui adiutrices manus porrexerunt ac universos ad ferventiores religionis sensum, firmorem fidem certioraque proposita permovendi.

Quocirca Venerabilis Fratris Rochi K. Mirdita, Archiepiscopi Dyrracensis-Tiranensis, postulatis libenter subvenientes, ut ritus ille elatus evolvatur et luculentius, ad te, Venerabilis Frater Noster, cogitationem convertimus, cui Nostrorum consiliorum proximo participi praestantiora committere solemus, et ipse idoneus occurris qui eventui illi intersis personamque Nostram sustineas. Itaque singulari pulsi affectione, te, Venerabilis Frater Noster, cui fraterna intercedit necessitudo cum Albaniae Episcopis fidelibusque illarum christianarum communitatum, quae, saevo communistarum dominatu gravatae, renovationis cursum nunc tenent, *Legatum Pontificium* renuntiamus et constituimus.

Universis participibus hominibusque inibi omnibus animum Nostrum sollicitum ostendes, qui insignis illius Apostoli fere vocem exaudientes, spiritualibus fructibus repleti, renovato fervore pietatem probandaque opera persequantur. Nostro denique nomine Nostraque auctoritate Benedictionem Apostolicam impertias velimus, quae sit certum caelestis praesidii signum auspiciumque supernarum gratiarum.

Ex Aedibus Vaticanis, die XX mensis Decembris, anno MMI, pontificatus Nostri quarto et vicesimo.

IOANNES PAULUS II

[00101-07.01] [Testo originale: Latino]
